



**C**hristopherus apud Saxonès natus est anno circiter 1518. Hic cum felici ingenio esset prædictus, operam literis dedit, & prima rudimenta facile percepit. postea sese ad doctorum virorum gymnasia contulit, & in primis apud Saxones plurimum profecit. Cum is linguarū usum optimē percepisset, etiam Philosophiæ incubuit, & in ea præclararam sibi eruditionem comparauit. postea quoq; Medicum studium, et sacrarum etiam literarum lectionē coniunxit, atq; in omni genere disciplinarum tanta dexteritate perrexit, ut uiris doctissimis merito conferri queat. Accedebat & uitæ integritas, atq; naturalis quædam facundia. Id cum proceres in celebri Academia Franckofordiensí ad Oderā cognouissent, hunc Christoperum inter suæ scholæ professores receperunt, atq; bonos authores iuuentuti explicare iussérunt. id quod ipse magna solertia & auditorum maximo emolumento egregiè præstítit. Quin etiam Ciceronis aliquot opuscula suis commentarijs illustrauit, & in gratiam studiosorum Basileæ edidit. Hoc modo is etiam num Franckoforti pergit, & omni genere literarum edocitus cunctis bonis, præsertim uero Ioachimo Brandenburgensi electori, gratissimus existit. Nec etiam dubitandum, quin breui ille suis lucubrationibus doctissimis magnam gratiam apud optimos quosq; sit initurus. id quod uiri docti passim de ipsius ingenio prædicant. Año.

nimos.